



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Codex traditionvm Corbeiensivm

Falcke, Johann Friedrich

Lipsiae ; Gvelpherbyti, 1752

§. 295. 296. De iugeribus et familiis traditis in villis Valahus, Rarbeke et Adalmandingawerthien in pagis Logne atque Hessi Saxonico, et Franconico.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36114

Ab anno
879 usque
890 im-
perante
Karolo
Caesare et

§. 295.

Tradidit godscalfus pro patre suo ueghan in *ualabus* (t)
LIII iugera.

§. 296.

Tradidit uaiarinus pro matre sua unam familiam in *rar-
beke* (u)
tradidit haaldus pro se III familias in *adalmandingauuertbien* (v)

§. 297.

inducunt ad credendum eandem vel circa initium anni MXXX. vel anno MXXXII. esse exaratam. *Hunfridus* enim Magdeburgensis archiepiscopus, *Sibertus* Mindensis, et *Hildwardus* Citizensis episcopi ibi adparent. Quis vero *Liuzo* episcopus sit, in disceptationem venire posset. Si enim perhibere velles, eundem fuisse *Libentium II*, Bremensem archiepiscopum, eius antecessor Unwanus mortuus erat anno 1029, testante Alberto Stadeni p. m. 117. tunc videtur impedire sententiam nomen Episcopi. Si itaque dicere velles, eundem in hac charta ultimo loco poni, et tantum appellari episcopum, quia nondum confirmatus fuerit, charta haec scripta esse debuisset circa initium anni MXXX. Quodsi autem maius intelligere *Liuzonem* episcopum *Brandenburgensem*, tunc e Wipponis Vita Conradi, Hermanno Contracto, et Veteri Chronico in notis Broweri ad Vitam Meinweri patet, eundem *Liuzonem* anno MXXX a Mifecone Polono cum multis aliis esse captum, et barbarum in modum instar vilis mancipii tractatum. Cum igitur caesar Conradus demum anno 1031 comparato exercitu expeditionem in Poloniam susciperet, Poloniamque caedibus et vastatione ad obsequium tributumque compelleret, *Liuzo Brandenburgensi* episcopo demum circa finem anni MXXXI libertati restitutus esse potuit. Qui si caesarem securus esset Paderbornam, ante initium anni MXXXII Paderbornae praesens esse nequiuisset. Ita inde sequeretur, hanc chartam esse datam anno 1032. Si porro villa *Emiggarotbun* esset *Esschenrode* in praefectura Münden in Göttingensi principatu, tunc perhibere liberet, *Hildelinum* in hoc diplomate inter progenitores dynastarum de Sichelstein esse referendum. Nomen enim Hildelinorum in eadem familia erat vsitatum. Hoc vero posito, placeret dicere, uxorem eius *Odam*, cuius nomen in gente Ludolfina in vsu erat, Brunonianae fuisse stirpis, eandemque primum nupsisse marito e gente Widikinica, cui pepererit *Arnaldum*. *Arnaldus* enim tantum appellatur filius *Odae*, et maius ius in villa *Bargbusun* in pago Almunga habuisse videtur quam *Hildelinus*. In pago Almunga autem passim familia Widikinica dominata est, quemadmodum Pagoniana in pago Nithiga.

De villa
Valabus
in pago
Logne.

(t) *Valabus* villam in pago fuisse *Logne*, docet nos Saracho in suo Registro bonorum abbatiae Corbeiensis. Intelligimus ergo, designari per eam vicum *Walsbusen* in principatu Göttingensi, et quidem in praefectura Uslar ad fluium dictum die Schwulm. *Godscalfum* itaque ad progenitores comitum de Northem et Dassel retulimus §. 104. not. (1), quia, hanc villam in eorum comitatibus fuisse, nemo non videt.

De villa
Rarbeke
in pago
Hessi
Franco-
nico.

(u) Villam *Rarbeke* extitisse in pago *Hessi Franco-nico*, attestatur diligentissimus noster Saracho abbas. Si ergo quaeritur, quinam intelligatur vicus, putamus, indicari vicum *Rorbach* in principatu Hirschfeldensi, hodierno tempore ad iura spectantem serenissimorum Landgrauiorum Hassiae. Arbitramur itaque *Vaiarinum* nostrum nullum fuisse alium, nisi eum, quem Eecardus iunior nominat *Werinbere*, quemque supra §. 216. auum regis Germaniae Conradi I fuisse statuimus. Ex hoc enim §. 296. patet, eum bona hereditaria in Hassia possedisse. Et quamuis nomen matris eius h. l. non exprimitur, patet tamen e Chronico nostro MScto, supra §. 216 et §. 279. adducto, illam fuisse serenissimam *Gherburch*, proneptem gloriosissimi caesaris Caroli M. conf. infra §. 380.

De villa
Adal-
mandin-
gawert-
thien.

(v) *Adalmandingawertbien* fuit in pago *Hessi Saxonico*, testante nostro Registro. Quis vero intelligendus sit vicus, nescire id nos, sincere fatemur.

(w) *Rain-*